



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Qvomodo Christi Passio Sit Consyderanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

## RATIONE AD EVCHARISTIAM SERMO:

Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibe-  
tis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Inde enim  
statuit ecclesia, ut missa sine euangelio non legatur. Hæc  
memoria autem alium requirit sermonem, quia non minus  
& ipsa in superstitiones, & literalem hypocrisym apud mul-  
tos uersa, quam pleraq; alia sacratissima dona dei.

## QVOMODO CHRISTI PASSIO SIT CONSYDERANDA.

**H**ominis non est necessarium ut CHRISTVM  
in ipsius passione deploret, sed magis seipsum in  
CHRISTO. Nam passio CHRISTI (ut san-  
ctus pater Augustinus dicit) non solum nobis ex-  
emplum est, ut sequamur eius uestigia, & in nobis membra  
terrena crucifigamus, sed etiam est sacramentū & mysteriū  
CHRISTVM per suā temporalem & corporalem passio-  
nem, nostrā spiritualēm perpetuā passionem ueteris hoīs ui-  
cisse & crucifixisse. Itaq; passionem CHRISTI utiliter uel  
auditurus, uel lecturus, uel cōsyderaturus, talem concipiās  
necesse est, affectum, tanquam ipse eandem passionem in &  
cū CHRISTO patereris. Ergo audiēs CHRISTVM fla-  
gellatum uel percussum, consydera hoc significari te spiritu  
aliter flagellatum uel percussum. Sicut igitur tibi, si modo sa-  
næ mentis homo es, dolet te spiritualiter a morte peccati &  
spiritu maligno cruciari, ita dolet & quidem uehementius  
dolet, id CHRISTO propter te in sua passione. Tu pateris  
ex merito, CRHIS TVS propter te, & innocenter, portas  
in cruce nō sua, sed tua peccata. Ita confitebatur latro in cru-  
ce passionem CHRISTI. Sic & disce ex corporali passio-  
ne CHRISTI, cognitionem tuæ spiritualis passionis, & no-  
titiā tuūpsius. CHRISTVS in sua passione personam no-  
strorum peccatorum suscepit, Ideo nos in cordibus nostris

## DE CONSYDERA. PASSIONIS CHRISTI.

tales coram deo apparare debemus, sicut ipse coram homi-  
nibus pro nobis apparuit. Et quemadmodum ipse propter  
nos lamentatus est, ita debemus nosipso super eum deplo-  
rare, sicut mulieribus dixit, Nolite flere super me, sed super  
uos & filios uestros. Igitur qui seipsum non intelligit & in-  
uenit in passione CHRISTI, eam non intelligit sufficien-  
ter, & frustra comparatur CHRISTO, siue CHRISTI  
uicem dolet, quia ex CHRISTI passione non dicit sibi ipsi  
compati. Ideo pro te CHRISTVS fleuit, conquestus est  
& passus, ut discas tuam propriam passionem & miseriam  
ante deū deplorare. Nam te recognoscens coram filiū mor-  
tis, merito debes flere donec perpetuo libereris. Si ergo ita  
efficaciter tuam miseriam in passione CHRISTI recognosce-  
res, facilis tibi esset humilitas, māsuetudo, clementia, cōtem-  
ptus mundi, & cætera, libenter etiam CHRISTVM in o-  
mnibus ipsius sequereris passionibus. Quis enim nollet fle-  
re, uidens suam miseriam esse tantā, ut pro ea æterna, infini-  
ta, & innocens persona pateretur? Nam terribile est auditu,  
neq; mirandū in parte nostra, si quisq; nostrum penitus de-  
speraret tantam misericordiā consyderans, nisi e diuerso ma-  
gna de misericordia solatium succurreret, per quam nemo  
in deo de sua salute desperare debet. Si enim deus filiū pro  
nobis tradidit, dedit etiam in ipso nobis omnia. Quapropter  
uocatus in conscientia tua in accusationem, pœnā, & mor-  
tem coram deo, tunc confitere & deplora id totum ex meri-  
to uenisse, & respice CHRISTVM, omnia innocentē  
& immerito patientem, id quod unicum tibi solatium sit.

## SERMONIS DE DIGNA PRAEPARATIO

ne cordis pro suscipiendo sacramento Eucharis-

tiæ, per R. P. Martinum Lu-

therium habiti,

F I N I S.